Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 121

Quelle:
Copyright:

rant, quam in Editis hodiernis. Fol. 55. p. 2. orditur S. *Marcus* eadem ratione ab Actis ſuis ſplendide depictis ea ſolum differentia, quod Inſigne *Auſtriae* locum prae *Styriaco* tenet. *Fol.* ſeq. ſolam I literam admireris, primam videlicet textus et vocis *Initium*. Solum in hoc *Evangelio Caput* IX. aliter ac in Editis ab VIII. dividitur. *Fol.* 91. p. 2. viſuntur in totidem loculis Acta S. *Lucae*, Inſigni *Auſtriae* rurſus angulum dextrum ſuperiorem tenente. *Fol.* ſequens ſpecioſiſſima litera F occupatur addita tamen in limbo continuatione: *Uit in diebus herodis regis iudee.* Igitur deeſt Προλεγομενον illud ad Theophilum: *Quoniam quidem multi* &c. Capitum initia cum Editis conſpirant. *Fol.* demum 148. p. 2. depinguntur Acta S. *Johannis*, Inſignibus, ut in *Luca* diſpoſitis, et *Fol.* ſequens ſola litera I ſuperbit, *pag.* altera inchoante: *N principio erat uerbum* &c. In ſolo Capite XVII. diviſionis differentia. Ad calcem lineis aureis et caeruleis alternantibus haec clauſula: *Et ego Johannes de Oppauia, presbiter. Canonicus Brunnenſis Plebanus in Lantskrona. hunc Librum. Cum auro puriſſimo de penna. Scripſi. Illuminaui. Atque deo cooperante compleui. In anno domini. Milleſimo. Trecenteſimo. Sexageſimo. VIII°.* En Canonicum χαλκεντεον και 'αδαμαντινον, qui ſacrae, qua fungebatur, animarum curae laborem ejusmodi adjunxit, qui ſolus videri queat, integrum hominis aevum depoſcere. Adjecta eſt Icon *Chriſti* judicis inſidentis iridi, adſtante infra Matre et Nutritio. Ut porro aliquod lectionis ſpecimen proferam, *Joh.* c. 1. habetur: *quem dixi vobis*, pro *quem dixi; Per ihesum facta eſt*, pro *per Jeſum Chriſtum; niſi unigenitus filius*, pro *unigenitus filius; Peccata mundi*, pro *peccatum; Manifeſtaretur in Iſrael*, pro *manifeſtetur; Filius iohanna*, pro *Jona;* unde Textum ſatis caſtigatum eſſe liquet. Seculo ſequente *Codex* ad *Fridericum* III. Imp. devenit. Video enim *fol.* 1. p. 2. ejus Symbolum A. E. I. O. V. cum anno 1444. Atque is pro merito theca eum decumana argento inaurato ſquallenti biennio poſt veſtivit, nam in ejus anſulis et Symbolum mox dictum, et annus 1446. inſculptus cernitur.

LIII. VIII E. 2.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 56. f. columna anguſta, ut margines Notis paterent, pereleganter ſcriptus, literisque initiorum picturatis venuſtus exhibet *Evangelium D. Marci*, Gloſſis marginum inſtructum et interlinearibus, unde et linearum luculenta diſtantia. Praeit *Marci* Vita in *Bibliis gloſſat. Lugd. T. V. fol. 88:* 1545. tributa *Hieronymo*, quae incipit: *Marcus euuangeliſta dei et petri in baptismate filius*, et non uno loco correctior eſt editis. Textus ipſe hinc inde a Vulgato variat. Ita C. I. legitur *omnis regio galileę* pro *omnis Judaeae regio. Veniet fortior* pro 351